



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sect. 5. An materia fidei conuenienter eradatur in symbolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

motuum credendi: nam si hoc non verè cognoscitur, virget ratio facta, quod impossibile sit talem rationem esse motuum inclinans, & trahens intellectum ad assensum; si autem totum illud verè cognoscitur de tali medio, falso dicitur, non esse obiectum, quod; quia in se terminat cognitionem mentis, & hoc est esse obiectum, quod. Et declaratur tandem quia intellectus non assentitur per fidem veritatibus, quæ sunt materialia obiecta fidei, tanquam sibi per se notis ex cognitione terminorum: quia non videt terminos prout in se sunt: ergo necesse est, ut in aliquo medio cognoscatur connexionem eorum, quod medium non est nisi diuina reuelatio, & veritas: ergo necesse est ut intellectus, propriè, & in se cognoscat tale medium, & consequenter necessarium etiam est, ut cognoscat tale medium verè applicari tali obiecto, seu materiæ, & habere proprietatem necessariam, ut reddat illud obiectum infallibiliter credibile: hoc autem nihil aliud est, quam cognoscere reuelationem, seu testimonium Dei, esse in se infallibile, & cadere in tale obiectum, ut dictum à Deo.

Responsio ad
institum in
num. 8.

11. Vnde facile respondetur ad obiectionem proximè factam, verum esse, non posse aliquem credere Deum esse Trinum, & Vnum, nisi credat illud esse dictum à Deo, siue hoc faciat diuersis actibus, siue vno: fortasse enim viroque modo fieri potest: ex ultimo tamen in initio credendi, quando generatur fides, distinctis actibus id fieri, & prius ad hoc perueniri, ut credatur hoc esse dictum à Deo, & deinde credi dictum ipsum, postea vero in virtute præcedentium actuum fieri potest, ut totum illud simul apprehendatur, & vno actu credatur: sicut in conclusionem scientifica contingere solet, ut prius oporteat cognoscere expresse medium, quo coniunguntur extrema, postea verò ex habitu, vnicui simplici actu, intellectus illi assentiat. Neque etiam refert quod vna reuelatione, seu dictione Dei proponatur, & Deum dicere, & id, quod dicit: nam hoc non obstat, quominus illæ sint distinctæ propositiones credibiles, quas mens hominis, præsertim inchoantis, assensum fidei non potest ita simpliciter, & vno actu apprehendere, & ideo necesse est, ut prius illam cognoscat, quæ est ratio cognoscendi aliam. Atque idem dicendum est de altera propositione, *Deus est prima veritas infallibilis*, seu *Deus mentiri non potest*, quia ipsummet dictum Dei non est efficax ad fundandum assensum fidei nisi in virtute huius veritatis, & ideo illa etiam debet præcognosci. Nec sufficit dicere, quod credendo hoc, quia est dictum à Deo, necessariò credo, *DEVM non mentiri*: nam esto hoc credam de illo particulari actu, seu obiecto, necessarium est, ut fundetur in vniuersali iudicio, quod Deus nunquam potest mentiri, atque adeo quod in se est veritas infallibilis. Idem est cum proportionem in fide humana (in qua videtur committi magna æquiuocatio.) Nam licet credendo aliquid alicui, credam in eo non mentiri, tamen hæc fides necessariò supponit credulitatem, seu existimationem de tali persona, quod non solet mentiri, vel quod est digna tali fide; sic ergo est cum proportionem in præsentia. De cognitione autem euidente primorum principiorum, per naturale lumen intellectus, non est similis ratio: quia ibi lumen intellectus non est medium, seu ratio cognoscendi ex parte obiecti, sed tantum ex parte potentie: quin potius ratio cognoscendi ex parte obiecti, est immediata connexio terminorum, quam intellectus videt cognitis terminis, quod non ita est in præsentia, ut declarauimus.

Ad fundamentum in
num. 4.

12. Ad primam ergo rationem prioris sententiae, quæ erat de discursu fidei, aliqui non dubitant concedere fidem assentiri mediante discursu: sed ego hoc nunc non definio: nam de illo dicam infra disp. 6. secl. 4. tractando de actu fidei, nunc autem facile responderi potest negatio sequelam. Aliud est enim, indigere intellectu compositionis plurium propo-

Suarez de Fide.

sitionum, & transitu (ut sic dicam) vnius ad aliam, ad concipiendum assensum fidei: aliud vero est assentiri per fidem ex vi discursus. Primum enim est verum, & maxime respectu illarum propositionum, quæ non sunt ratio credendi, neque illam in se continent. Et hoc solum probat illa prima ratio: imò infra ostendemus, idem esse suo modo necessarium, propter sufficientem propositionem fidei. Secundum autem non est necessarium, quia assentiri ex discursu, est fundari in illo, ita ut causa per se assentiendi, sit connexio extremorum cum medio: non est autem necesse, ut fides sic assentiat, sed postquam intellectus concipit medium fidei sufficienter applicari tali obiecto, simpliciter illud credit propter auctoritatem Dei, sine fundamento proprio, æper se, sui discursus, seu necessitatis illationis, aut consequentiæ.

Ad 2. fund.
ibid.

13. Ad secundum de immediato ordine diuina reuelationis ad omnia obiecta credibilia, respondetur hoc esse verum de obiectis pure materialibus, non vero de formali, & materiali inter se comparatis. Et ideo dixi in sectione prima, Deum esse necessarium obiectum fidei, quia non potest alia sufficienter reuelare, quin de se reuelet, scilicet proprietates necessarias, ut illi possit adhiberi fides. Et ideo non obstat quod Deus libere reuelet, quæ vult, nam supposito quod vult aliquid reuelare, ut credendum sub auctoritate sua, necesse est, ut se ipsum tanquam reuelantem, & dignum fide proponat. Tertia vero ratio ex dictis expedita est, concessimus enim inter obiecta pure materialia, non esse ordinem, inter formale autem, & materiale negari non posse, etiam quatenus obiectum ipsum formale potest complexe cognosci, atque ita esse vnum ex materialibus cognitis.

Ad 3.

14. Interrogabit autem aliquis, cum de obiecto formali duæ formetur propositiones credendæ per fidem, scilicet, *Deus dixit res fidei*, & *Deus non potest esse res falsæ*, an inter illas sit ordo, & quæ illarum prior sit? Item cum utraq. illarum supponat aliam, scilicet Deum esse, an hæc sit primo loco constituenda? Respondendo breuiter secundum esse rei habere quidem ordinem has veritates: nam Deum esse supponitur ad omnia, & illud esse veracem est proprietas vniuersalis, & necessaria, ac subinde prior, quam sic quælibet diuina reuelatio. Nihilominus tamen in esse credibilis, ita vel se includunt, vel ad inuicem pendunt, ut non videantur inter se habere ordinem prioris, vel posterioris, in esse credibilis: quia neque est credibile per fidem Deum aliquid dicere, nisi in diuina veritate nitatur, neque etiam hoc ipsum, scilicet Deum esse veracem, est credibile per eandem fidem, nisi quatenus à Deo dictum, seu reuelatum: & ita hæc duo mutuo se iuuant: Deum autem esse, in quolibet illorum includitur, neque per se aliquo modo supponitur, ut reliqua credi possint.

Quæstiones
la ex dictis
appensa.

etius dilectus

SECTIO QUINTA.

Vtrum materia fidei conuenienter in symbolo fidei tradatur?

Symbolum, ut omnes in hac materia supponunt, vox Græca est, signum, seu iudicium, & collectio nem significans, ut in militia, verbi gratia, signum, quod datur militibus, ut inter se, se cognoscant, & ab alijs discernant, symbolum appellatur. Collectio etiam, quæ fieri solet ex multis contribuentibus ad aliquod opus, solet etiam symbolum appellari. Et ex utraque significatione applicata est hæc vox ab Ecclesia ad significandam quandam breuem summam, seu regulam fidei ex varijs articulis fidei collectam, & fidelibus propositam tanquam signum professionis suæ. De hoc ergo symbolo, quod ita explicant Clemen in epistol. ad Iacobum. Augustin.

Symboli
symo. & vñ
in Ecclesia

B

sexm

ferm. 125 de tempore Cyprianus, & Rufinus in expositione symboli, & alij Patres communiter disputant omnes Theologi in 3. dist. 25. & specialiter D. Thom. hic art. 6. 8. & 9. & ideo breuiter à nobis explicanda est ratio huius symboli, præsertim quia Lutherus etiam hunc morem in Ecclesia reprehendit, quia ad credendum (inquit) sufficiebat Scriptura sine additione Symboli.

Notatio ex
D. Thom. pro
resolutione.

2. Ad explicandam autem veritatem aduertit D. Thomas in materia fidei quædam esse per se tradita, quia fides est *Substantia rerum sperandarum*, & ideo ea, quæ pertinent ad beatitudinem, quam speramus, vel sunt media necessaria, aut per se ordinata ad illam consequendam dicuntur per se pertinere ad fidem, reliqua vero, quæ innumera sunt quasi per occasionem, seu per accidens reuelantur, & ita tota materia fidei utrunque ordinem credibilium complectitur. Loquendo igitur de materia fidei in hac vniuersalitate, clarum est nec debuisse, nec fere potuisse sub breui symbolo proponi, quia sic pertinent ad materiam fidei omnia, quæ sunt in Scriptura, & non solum illa, sed etiam quæ traditione, & Ecclesie definitione habentur, quæ omnia nec poterant ad breuem summam redigi, nec id erat populo Christiano necessarium. Igitur in presenti solum est sermo de materia per se, & præsertim de illa, quæ est ad salutem necessaria.

Assert. de
fide.

Probat. in
inductione.

&

Referuntur
etiam à Zach.
Bouer lib. 2.
exam. 1. cen-
sur. 41.

Dupliciter
potuit sym-
bolum consti-
ui ab Apost.

Quando sit
confectum.

Ob quas ra-
tiones con-
fecerint.

3. Dico ergo primo, conuenientissimum fuisse fieri ab Ecclesia symbolum, huiusmodi fidei materiam complectens. Est de fide ex perpetua traditione, & communi consensu Ecclesie, & probatur imprimis inductione: nam primum symbolum tradiderunt nobis Apostoli, quod vocatur symbolum Apostolorum, ut testatur Clemens epistola 1. ad Iacobum, & libro primo Recognit. Leo Papa epistola 13. ad Pulcheriam, & sermone 3. de Passione Domini, Augustinus sermone 115. & 181. de Tempore, alijs in Appendice sermone 42. & 57. & libro de Fide, & symbol. & sæpe alijs, & Hieronymus epist. 61. ad Pamach. Ambrosius serm. 38. & Chrysostomus homil. 1. & 2. de Symbolo, & alij statim referendi, Tertullianus vero libro de Præscrip. hæretic. cap. 14. dicit, symbolum esse à Christo institutum; intelligendum vero est per Apostolos, quia non constat, nec cum fundamento affirmari potest, Christum composuisse hoc symbolum eo modo, & ordine, quo in Ecclesia semper retentum est. Duobus autem modis potuit hoc symbolum componi, scilicet, vel quia, & totum, & singulæ partes eius inter omnes Apostolos collatae fuerunt, & approbatæ, vel quia singuli singulos articulos, & sententias eius contulerunt. Et quamuis incertum sit quo istorum modorum fuerit compositum, tamen posteriorem indicant Patres, præsertim Clemens, & Augustinus, qui refert, singulas sententias singulis Apostolis dictas; & Leo Papa sic inquit: *Ipsa Catholica symboli brevis, & perfecta confessio duodecim Apostolorum est insignita sententia*: & ideo fere habet Iudorus libro primo de Diuinis officijs capite 16. & libro 2. capite 2. Ex quo etiam intelligimus symbolum hoc fuisse compositum ab Apostolis ante necem Iacobi, nam etiam ille suam sententiam contulit, ut notant dicti Patres; & ita Baron. in 1. tomo anno 44. existimat illo anno fuisse compositum, id est 10. à Passione Christi. Et consonat cum hac doctrina quod dicunt Patres in citatis locis, Apostolos tunc composuisse symbolum; quando inter se separari, & per vniuersum mundum diuidi voluerunt. Et inde etiam colligunt rationes ob quas illud composuerunt, scilicet, ut haberent vnā, & eandem regulam fidei, quam omnes omnibus populis proponerent: Ita Rufinus in præfatione symboli. Secundo, ut singuli fideles haberent breuem formulam fidei, quam possent memoria retinere, & quotidie, ac frequenter profiteri: sic Augustinus homilia 42. & in sermone de symbo-

lo. Tercio, ut possent fideles tueri à falsis prædicatoribus, qui fidem corrumpere intendebant: ita Chrysostomus homil. in symbolum Apostolorum. Vnde etiam notant dicti Patres, Apostolos non tradidisse symbolum in charta, & atramento scriptum, ne ab hæreticis corrumpi posset, sed solum verbo tradidisse, ut corde retineretur, ut præter citatos sæpe repetit Petr. Chrysostomus serm. 57. & sequentibus de symbolo, & Eusebius Emis. homil. 1. & 2. de symbolo, & optime Rufinus, in expositione symboli.

4. Ex his ergo satis concluditur grauius errasse nonnullos qui se Catholicos profitentur in dubium reuocantes, an hoc symbolum Apostolicum sit, cum nullam rationem dubitandi habere poterint contra tot Patres, & vniuersalem Ecclesie traditionem. Sed dicunt, si hoc symbolum ab Apostolis compositum est: ergo est canonica scriptura, nam si epistola ab vno Apostolo scripta canonica scriptura est, cur non symbolum ab omnibus confectum. Respondetur tamen facile, negando illationem: primo, quia licet sit certum symbolum hoc Apostolicum, non tamen est simpliciter de fide, nec ab Ecclesia definitum. Secundo, quia licet Apostoli illud tradiderint Spiritui sancto regente, & gubernante quoad veritatem sententiarum; non tamen dictante singula verba, quod ad scripturam canonicam necessarium est. Tercio, quia Ecclesia non recipit illud inter scripturas canonicas. Quarto, quia diximus ex Patrum doctrina ipsummet symbolum non esse scriptum ab Apostolis, sed traditum, ut in memorijs fidelium conseruaretur, ut etiam sensit Augustinus serm. 119. de Tempore: quomodo ergo poterat esse Scriptura sacra? quin potius hinc sumitur magnum argumentum contra hæreticos, qui solis scripturis canonicis credunt. Nam hinc habemus traditionem Apostolicam sufficere. Quod autem quidam dicunt, Apostolos collegisse symbolum ex scripturis, sano modo intelligendum est, tum quia aliquid in illo symbolo continetur, quod in scriptura non inuenitur, scilicet, Christum descendisse ad inferos: tum etiam quia symbolum illud antiquius est, quam scriptura noui testamenti, à qua maxime sumi poterat: ergo lato modo dici potuit sumptum ex Scriptura, quia in substantia eadem mysteria continet, quæ in Scriptura traduntur.

5. Secundum symbolum est Nicænum seu Constantinopolitanum. quod D. Thom. hic vocauit symbolum Patrum, quia non fuit in vno Concilio consummatum, sed in Nicæno fuit inchoatum, in Constantinopolitano autem auctum, & magis declaratum, & postea etiam probatum in Concilio Epheso. 1. & præterea post hæc Concilia aliquam recepit additionem, ut de illa particula, *Filius*, diximus lib. 10. de Trinit. cap. 1. n. 15. & sequentibus. Vbi etiam aduertimus, non omnino constare, quo tempore, vel à quo Pontifice, vel Concilio addita sit, quamuis certa fide constet, meritò esse additam: & ita etiam nunc dicimus, non constare quando fuerit omni ex parte consummatum illud symbolum, prout nunc in Ecclesia canitur: certum tamen est illud etiam esse infallibilem regulam fidei auctoritate Ecclesie, & Summorum Pontificum confirmatam. Tertium symbolum est Athanasij, valde enim errant, qui negare audent, illud fuisse ab Athanasio compositum, cum Gregor. Nazian. oratione in laudem Athanasij dicat, Athanasium scripserisse egregiam fidei suæ confessionem, neque immerito illam vocat confessionem, & non symbolum, quia Athanasius, cum non esset Summus Pontifex, sed particularis Episcopus, non poterat symbolum authenticum Ecclesie tradere, ut dixit D. Thomas hic articulo tertio, ad 3. nihilominus tamen, quia iam ab Ecclesia probatum est, ideo merito inter symbola numeratur, & ita Eugenius Papa in Concilio Florentino Decreto ad Armenos capite sexto illis pro regula fidei tradidit symbolum.

Errant dubitantes, an symbolum confectum sit ab Apost.

Erroris fundamentum, multipliciter expulditur.

Assertio negata procedit etiam de symbolo in varijs concilijs locupletato.

Item de symbolo Athanasij.

Ad præfata
symboli re-
ducuntur
alia.

Probat de
inde asser-
tione.

1. assert.

Probat de
ex Hebr. 11.

Probat 1.
ex Ioan. 14.

Probat 1.
ratione.

Obiectio co-
tra proximam
assert.

Constitutio 1.

Constitutio 2.

Ad obiect.

bolum Athanasij, & illo utitur sæpe August. ad confirmandas veritates fidei, & signatim super Psal. 120 illud refert sub nomine Athanasij. Præter hæc autem symbola inveniuntur ferè in omnibus Conciliis variæ fidei propositiones, quæ in summa conciliantur materiæ fidei, omnes tamè ad prædicta symbola reducuntur, ut præcipuè videre licet in Concilio Carthagin. 6. capit. 10. & in Concilio Toletan. 11. in principio.

6. Ex his igitur satis probata manet auctoritate conclusio, ratio vero eius est eadem, quæ iam etiam tacta est, declarando quid mouerit apostolos ad symbolum componendum, scilicet, ut haberent fideles breuem formam profitendi fidem; dicit enim Apostolus ad Rom. 10. Corde credi ad iustitiam, ore autem fieri confessionem, scilicet fidei ad salutem; igitur ne simplices fideles errent in huiusmodi confessione, oportuit symbolum eis tradere, ut conceptis verbis, & certis, ut citati Patres dicunt, possent hanc facere confessionem; item ut per hanc uniformitatem constaret, vnam esse fidem totius Ecclesiæ Catholicæ, ut dixit Epiphanius in Anchorato in fine. Denique, ut semper haberent fideles paratam materiam, quam oportet explicite credere.

7. Vnde dico secundò. Hæc materia fidei sufficienter in symbolo continetur. Probat breuiter, primò cum D. Thom. ex illo ad Hebr. 11. Fides est substantia rerum sperandarum: nam in symbolo continentur omnia, quæ ad hanc substantiam pertinent; nam ibi docetur DEVS, qui est obiectum beatitudinis, quam speramus: traditur etiam Christus, qui est via per quam tendimus, & de vtroque docentur omnia mysteria substantialia, & maxime necessaria, ac tandem proponitur præfens Ecclesia, intra quam solam potest sperari salus: item proponitur vita æterna, & resurrectio, quam speramus, ac deniq. non omittitur iudicium futurum, & consequenter etiam insinuat æterna poena malis præparata, quia timor etiam necessarius est, ne spes in presumptione transeat; ergo sufficientissime complectitur symbolum materiam fidei. Vnde etiam potest hoc confirmari ex verbis Christi Ioan. 14. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, adiunctis verbis August. serm. 181. de Tempore, Symbolum breue est verbis, sed magnum in sacramentis, quidquid enim de Deo, & Christo in Scripturis traditum est, in symbolo continetur. Deniq. ex necessitate fidei explicite hoc optime comprobatur, quia in symbolo continetur quicquid necessarium est, vel oportet explicite credere. Vnde Leo Papa supra dicit sufficere hanc regulam ad instructionem fidelium: nam totum id continet, quod neminem in Ecclesia Deus voluit ignorare.

8. Sed obijciat aliquis: nam vel hæc sufficientia est in vnoquoque symbolo, & ita superflue multiplicentur plura, vel est tantum in collectione eorum, & ita singula insufficientia sunt, quod dici non potest. Et augetur difficultas, quia in vno symbolo aliqua omittuntur, quæ in alio continentur, ut in symbolo Apostolorum ponitur descensus Christi ad inferos, & communicatio Sanctorum, quæ committuntur in symbolo Nicæno & de conuerso in symbolo Patrum ponitur processio Spiritus S. à Patre, quæ in Apostolico omittuntur, & in eodem postea addita est processio Spiritus S. à Filio, quæ prius fuerat omissa. Et quod magis vrget, cum Paulus dicat, primum omnium, oportere credere Deum esse, & remuneratorem esse, neutrum horum in symbolis ponitur. Ac deniq. mysterium Eucharistiæ videtur maxime necessarium ad credendum, & est vnum ex difficultatibus, & tamen in symbolis non ponitur, non est ergo sufficientia doctrinæ in symbolis.

9. Respondetur ad præcipuam difficultatem cum Alexandro Alenf. 3. p. q. 69. m. 2. spectandos esse fines vniuscuiusque symboli, & ita singula esse sufficien-

tia ad vniuscuiusque finem, & omnia simul, ad omnes etiam fines simul sumptos. Sunt autem hi tres fines, scilicet instructio fidelium, refutatio hæresum, & maior mysteriorum explicatio. Propter primum finem institutum est symbolum Apostolicum, & ad illum est sufficientissimum: nam si fideles sciunt, & credant, quæ in illo continentur, sufficit ad salutem. Ad secundum finem, scilicet ad refutationem errorum, institutum fuit symbolum Patrum, seu Conciliorum, ut ego sentio, licet Alenf. hoc tribuat symbolo Athanasij, tamen reuera constat illum fuisse scopum Concilij Nicæni, & sequentium: & ita quis attente consideret, inueniet singulas particulas additas huic symbolo vitra Apostolicum, fuisse ad refutandas singulas hæreses, præcipue contra mysterium Trinitatis, & Incarnationis, ut expendit Gabriel distinctione 25. quæst. 7. Athanas. vero ad maiorem explicationem horum mysteriorum suum symbolum composuit, & ideo in eis multa addidit, & alia fere omisit. Et hinc facile soluitur alia difficultas, nam illi duo articuli de communione Sanctorum, & descensu ad inferos omisi sunt in symbolo Patrum, vel quia circa illos non erant exorta hæreses, vel forte, quia non est necessarium singulis fidelibus illa explicatiue credere, quam cõtineantur in articulis de morte Christi, & de Ecclesiæ sanctitate, & vnitatem, ut tractant partim in 2. tomo 3. part. disputat. 43. partim infra videbimus, tractando de præceptis fidei in 2. part. morali, disputatione 13. sect. 6. Ad confirmationem autem de existentia, & prouidentia Dei, D. Thom. indicat hæc, quæ naturali lumine cognosci possunt de Deo, non poni in fide, sed supponi. Recte vero dici potest, Deum esse, satis doceri in principio symboli, cum dicimur credere in vnum Deum Patrem omnipotentem, nam si Deus est vnus, maxime est: Deum autem esse remuneratorem satis specificè continetur in articulo de iudicio futuro, & de vita æterna. Denique de mysterio Eucharistiæ dicit D. Tho. 2. 2. q. 1. ar. 8. ad 6. comprehensum fuisse sub omnipotentia Dei, vel sub mysterio Incarnationis: sed hoc valde implicitum est, cum tamen oporteat mysterium illud explicite credere, ut dixi disputatione 46. de Sacram. sect. 1. in fine, & ideo addo in symbolis posita esse, quæ per se pertinent ad cognitionem Dei, & Christi, propter perfectionem, & obedientiam intellectus, & propter firmandam spem, & excitandam charitatem: præter illa vero necessarium esse cognoscere, & credere multa alia propter operandum, quæ non fuerunt in symbolis posita: & ideo præter symbola, necessaria est scientia præceptorum, ad quam pertinet instructio circa sacramenta necessaria, quorum vnum est Eucharistia, sicut etiam notitia orationis Dominicæ.

10. Dico tertio: Symbolum fidei apte, & conuenienter compositum esse ex articulis fidei. Hanc assertionem propono ad explicandum nomen articuli fidei, & numerum articulorum, quia in hoc multa scribunt Theologi, ut videre licet in D. Thoma, & Alenf. locis citatis, Scoto, & Gabr. in 3. distinctione 25. quæst. prima. Conueniunt ergo omnes, non omnem propositionem de fide esse articulum fidei, licet è conuerso omnis articulus fidei sit propositio de fide credenda. Addit vero imprimis quod per se pertineat ad fidem, sed hoc etiam commune est multis alijs propositionibus, quæ non sunt articuli fidei. Adiungit ergo D. Thom. ad articulum fidei, necessarium esse, ut specialem difficultatem habeat, & consequenter distinguit articulos, per speciales difficultates credibilium, quod est probabile: Alij vero existimant articulum esse specialem propositionem fidei per se pertinentem ad fidem, quam oportet explicite credere, & fortasse hoc voluit Richardus de Sancto Victore, quem refert Alenf. supra memb. 5. dum dixit, articulum esse propositionem indiui-

Triplex sym-
boli finis.

Ad 1. conclus.

Ad 2. conclus.

1. assertio.
Symbolum
rectè consti-
tuitur, ex articu-
lis.

Articulus ad
dit supra pro
positionem
de fide.

